



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**In Evangelia: Qvæ Vsitato More in diebus Dominicis & Festis proponuntur, Annotationes Philippi Melanth.**

**Melanchthon, Philipp**

**Vuitebergæ, 1544**

**VD16 E 4532**

Dominica Secvnda Post Trinitatis, Evangelium, Lucae XIII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-35272**

DOMINICA SECUNDA  
POST TRINITATIS,  
EVANGELIVM,  
Lucæ XIII.

**H**omo quidam fecit cœnam magna, & uocauit multos, & misit seruum suum hora cœnæ, ut diceret inuitatis: uenite, quia iam parata sunt omnia. Et cœperunt simul omnes excusare se. Primus dixit ei: Agrum emi, & necesse est mihi exire, & uidere illum, Rogo te, habe me excusatum. Et alter dixit: Iuga Boum emi quinq; & eo ad probandum illa, Rogo te, habe me excusatum. Et aliis dixit: Vxorem duxi, & ideo uenire non possum. Et reuersus seruus, nunciauit hæc domino suo.

Tunc iratus Paterfamilias, dixit seruo suo: Exi cito in plateas & uicos ciuitatis, & pauperes, ac debiles, & claudos, & cæcos introduchuc. Et ait seruus, Domine, faciūm est, ut imperasti, & adhuc locus est. Et ait dominus seruo:

Exi

A

## POST TRINITATIS. 17.

Exi in vias & s̄p̄es, & cōpelle intrare,  
ut impleatur domus mea , Dico enim  
uobis, q̄ nemo uirorum illorum, qui  
uocati sunt, gustabit cōnam meam .

**R**eprehensio est contemptus Euangeliū, in  
his, qui pr̄cipue sunt uocati, hoc est, qui  
uidentur esse pr̄cipua pars Ecclesie. Et  
adiecta est horribilis sententia, de illorum con-  
demnatione : Nemo illorum gustabit cōnam.  
Quanquam autem de reiectione populi Iudaici  
concionatus est Christus. tamen non de illis solis lo-  
quitur, sed generaliter pertinet contio ad omnia  
tempora, accusat contemptum Euangeliū, in Do-  
ctoribus, regentibus, & pr̄stantiore parte popu-  
li. Est autem agnoscenda & deploranda cæcitas  
humana, quod leuius curant homines Deum, &  
res æternas, quam ulla reliqua corporis negotia.  
Sicut plerunq; in Pagis rustici magis officiosi sunt  
erga Bubulcum, quam animarum pastorem, &  
interrogati respondent, se magis opus habere  
Bubulco . Hoc exemplum pingit similes affectus  
in summis. Quanta est contentio de gloria, de  
opibus, cum interim frigidissime curent homines,  
ea quæ ad gloriam Dei, aut propriam animarum  
salutem pertinent. Magis anguntur homines ia-  
ctura pecuniae, quam conscientia alicuius peccati.

6

Hanc

## DOMINICA SECUNDA

Hanc præpostoram sollicitudinem & depravationem hominum significant exempla hic recitata, Alius allegat se emissæ agros, Hic propter rem familiarem negligit salutem suam. Alius allegat se emissæ boues, hic pluris facit ciuilem potentiam, & ciuilia negotia, quam Euangelium. Sicut iam Politici uiri dicunt se esse occupationes ceteris negotijs necessarijs, quam ut uacet Euangelium cognoscere, Item negligunt Euangelium propter pacem ciuilem &c. Alius allegat nuptias, hic prefert coniugem & liberos confessioni, non vult in discrimen uenire suos propter Euangelium. Ita in summa huc spectant exempla, ut reprehendant peruersiōnēm humanæ naturæ, quæ negligit Deum, & maiori sollicitudine curat negotia inferiora, quæ etiamsi sunt necessaria, tamen non erant anteferenda Deo, iuxta illud Primum quærite regnum Dei, & omnia adiicientur uobis.

### SECUNDVS LOCVS

Proponitur imago Ecclesiæ, cum præstantiori parte reiecta uocantur claudi & ceci. Monet igitur Deum conseruare Ecclesiam, colligendis aliquibus paßim, qui non antecellunt opibus & auctoritate. Sicut inquit Esaias: Nisi Deus reliquisset nobis semen, essemus facti sicut Sodoma & Gomorra.

TER

DA  
bra-  
reci-  
pter  
alle-  
oten-  
sicut  
æte-  
nge-  
pro-  
tias.  
non  
ige-  
re-  
que-  
iego  
, ta-  
Pri-  
ntur  
  
tio-  
onei  
is ali-  
r au-  
uisset  
Go-  
  
TERA

## POSTTRINITATIS. 18.

### TERTIVS LOCVS, De coactione.

Tria sunt obseruanda. Primum dulcissima est consolatio, quod Deus etiam cogi nos iubet. Significat enim uere se expetere salutem nostram, & uere uelle saluare, ut cum pater serio afficitur cura regendi filij, non tantum frigidis admonitionibus, sed etiam severitate quadam imperij erga eum utitur, cogit eum facere officium.

Secundo. Significat Christus ministerium uerbe esse efficax, quia coactio proprie hoc loco significat eam, quae fit per ministerium Euangeli, quod proponit mandatum Dei, & æternas poenas, & est efficax adiuuante Deo. Quare & hæc sententia ornat autoritatem ministerij, & significat Deum esse efficacem per ministerium.

Tertio. Quanquam Christus hic nihil loquitur de coactione corporali, seu de officio Magistratus, sed tantum de ministerio Euangeli, quod cogit proposito mandato Dei, propositis æternis poenis, item adiuuante Deo. tamen & Magistratus suam habet coactionem, scilicet, quod ad disciplinam externam attinet, sicut alias saepe diximus, magistratum esse custodem legis, ut tollat externam Idolatriam, puniat externa delicta.

## DOMINICA TERTIA POST TRINITATIS, EVANGE. LUCAE XV. c ii Erant